Collocutores prime egloge Melibeus Titirus

Titire tu patule recubans sub tegmine fagi
Siluestrem tenui musam meditaris auena
Nos patrie fines et dulcia linquimus arua
Nos patriam fugimus. tu titire lentus in umbra
Formosam resonare doces amarilida siluas.
ti O melibee deus nobis hec otia fecit.
Namque erit ille michi semper deus illius aram
Sepe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boues (ut cernis) et ipsum
Ludere que uellem: calamo permisit agresti.
me Non equidem inuideo, miror magis. undique totis
Usque adeo turbatur agris en ipse capellas
Protinus eger ago, hanc et uix titire duco.
Hic inter densas corulos modo namque gemellos
Spem gregis ah silice in nuda conixa reliquit.
Sepe malum hoc nobis si mens non leua fuisset
De celo tactas memini predicere quercus.
Sed tamen iste deus qui sit da titire nobis.
ti Urbem quam dicunt Romam melibee putaui
Huic nostre similem stultus ego, quo sepe solemus
Pastores ouium teneros depellere fetus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus edos
Noram: sic paruis componere magna solebam.
Uerum hec tantum alias inter caput extulit urbes
Quantum lenta solent inter uiburna cupressi.
me Et que tanta fuit Romam tibi causa uidendi
ti Libertas, que sera tamen respexit inertem
Candidior postquam tondenti barba cadebat.
Respexit tamen et longo post tempore uenit.
Postquam nos amarilis habet galathea reliquit.
Namque fatebor enim dum me galathea tenebat
Nec spes libertatis erat nec cura peculii.
Quamuis multa meis exiret uictima septis.

Virgilii Ecloge et Aeneis. 1449.


© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg